



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

140. An Commissarius possit dispensare in aliquo impedimento
metrimonii? Ex p. 1. tr. 11. res. 116.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76369)

RESOL. CXXXIX.

An irregularitas contracta per malam susceptionem Ordinum, quia suscipiens erat excommunicatus, vel suspensus, sit per Commissarium Cruciatæ dispensabilis? Sed remanet ista difficultas; in qua irregularitate contracta ex bigamia potest Commissarius Cruciatæ dispensare?

Et notatur, quod si aliquis contraxit cum corrupta, existente aliquo impedimento dirimente, si non consummavit matrimonium, imo quamvis consummasset, non incurrit irregularitatem. Ex part. 1. tract. 11. Refol. 115.

Quoad hoc §. 1. **R**espondeo negativè, ut patet ex verbis Bullæ, & facultatis, ut optime notat Fagundes in exam. Theol. mor. part. 3. cap. 9. §. 20. num. 2.

2. Sed ego puto probabiliter, excommunicatum, vel suspensum, Ordines sacros suscipiendo non incurrit irregularitatem. Et ita nobiscum sentit, quoad excommunicatum, Suarez tom. 5. disp. 41. sect. 3. num. 2. & Filiucius tom. 1. tract. 20. cap. 7. num. 192. cum aliis; quidquid probabiliter in contrarium asserat Valentia tom. 4. disp. 7. quasi. 19. punct. 3. Sayrus lib. 7. cap. 10. n. 12. Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 14. num. 181. de suspensio verò idem docent Filiucius, ubi supra, Suarez, & Sayrus; licet probabiliter contrariam sententiam doceant aliqui ex præcedentibus Doctoribus. Et ratio est; quia non datur textus, in quo imponatur talis irregularitas: sed irregularitas non incurritur, nisi in casibus à iure expressis, ergo, &c.

3. Igitur ex his omnibus apparet, non posse Commissarium dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio voluntario, ex simonia, ex heresi, & apostasia à fide & ex mala Ordinum susceptione; posse tamen in aliis irregularitatibus provenientibus in delicto, licet sint publicæ; in quo casu non potest Episcopus, unde circa hoc remanet solum ista difficultas; in qua irregularitate contracta ex bigamia potest Commissarius Cruciatæ dispensare?

4. Ita respondet Villalob. in summ. tom. 1. tract. 27. claus. 13. num. 8. [No puede dispensar el Commissario en la bigamia interpretativa, que no nace de delito, qual es del que se casò non corrupta; mas si en la que nace de delito, qual es del que se casò validamente con vna, & inualidamente con otra, y en la similitudinaria, que incurre el que se casò estando ordenado de Orden sacro, d. siendo professo en la Religión aprobada.] Ita ille, qui citat etiam Rodríguez.

5. Notandum est tamen, quod si aliquis contraxit cum corrupta existente aliquo impedimento dirimente, si non consummavit matrimonium, non incurrit in irregularitatem: quia existente matrimonio inualido, nulla est significatio, seu defectus significatiōnis. Ita Bonac. de cens. disp. 7. q. 2. punct. 5. n. 8. adversus Suarez, Sayr. & alios.

6. Imò ego puto adversus Bonacin, quòd si etiam in tali casu aliquis matrimonium consummaret, non incurreret in irregularitatem. Et ita docet Auila de cens. part. 7. disp. 7. dub. 2. qui citat Navar. asserentem sic fuisse decisum in sacra penitentiaria.

RESOL. CXL.

An Commissarius Cruciatæ possit dispensare in aliquo impedimento matrimony? Ex p. 1. tr. 11. Ref. 116.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè cum Ioan. de la Cruz in direct. conf. part. 2. tr. de matrim. art. 6. dub. 12. concl. ... Fernandez in exam. Theol. mor. part. 3. cap. 9.

§. 20. num. 3. Henriquez lib. 7. cap. 13. num. 5. & lib. 11. cap. 3. num. 3. Villalobos in sum. tom. 1. tract. 27. claus. 13. num. 11. & Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 8. disp. 6. num. 23. ubi sic asserit: [Commissarius Bullæ Cruciatæ potest dispensare pro solo conscientie foro in affinitate confluenti ex copula fornicaria in primo, & secundo gradu; atque prolem susceptam, & suscipiendam, legitimam decernere, concurrentibus quatuor conditionibus. Prima est, ut matrimonium cum illo impedimento sit iam contractum, servataque sit forma Trident. sess. 24. de matrim. cap. 1. Secunda est, ut impedimentum sit occultum. Tertia est, ut adferat bona fides, saltem ex parte alterius contractantis, qui tempore contractus matrimonij id impedimentum ignorabat. Ultima est, ut coniux, qui ignoravit impedimentum, certior fiat de prioris consensu nullitate; quamvis ei non declaretur causa nullitatis, ut evitentur scandala.]

RESOL. CXLI.

An ille primus gradus, in quo potest Commissarius Cruciatæ dispensare, intelligendus sit in utraque linea transcurjali, & recta?

Et notatur, quod si denunciations culpabiliter essent omisse, etiamsi matrimonium contractum sit ante Parochum & testes, non possit tali casu Commissarius dispensare. Ex part. 1. tract. 11. Ref. 117.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè: quia concessio facta dicto Commissario est absoluta, & sine ulla distinctione: & uterque gradus est iure pontificio inductus. Et ita docet Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 7. disp. 3. num. 2. & alij. Vnde Rodríguez in Bull. Cruc. §. 13. fol. mibi 210. ita asseruit: [Puede el Commissario general dispensar para que vno se puede casar con vna muger, que conocio su padre carnalmente, auendole casado publicamente, ignorando vno dellos el impedimento.]

2. Notandum est tamen, quòd si denunciations culpabiliter essent omisse, etiamsi matrimonium contractum sit ante Parochum, & testes; non possit in tali casu Commissarius dispensare: & ita notat ex Sanchez Villalob. in sum. tom. 1. tract. 27. claus. 13. n. 14.

RESOL. CXLII.

Quando dicitur impedimentum occultum, ut possit Commissarius Bullæ dispensare? Ex p. 1. tr. 11. Ref. 118.

§. 1. **R**espondeo, occultum in hoc loco accipiendum esse eo modo, quo accipitur in Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. ubi conceditur facultas Episcopis, ut possint dispensare super irregularitatibus, &c. provenientibus ex delicto occulto. Igitur hic, sicut & in Concil. Trident. occultum non accipitur secundum terminos iuris, id est, quod non potest probari, ut non bene conserunt Graffius tom. 2. consil. 2. n. 20. de homicid. Garcias de benef. tom. 2. part. 7. cap. 1. num. 4. Almandariz in addit. ad recopil. 1. Navarra, lib. 1. tit. 18. lib. 7. num. 25. & alij.

2. Sed accipitur pro eo, quod non est publicum, etiamsi ab aliquibus sciatur. Et ita docet Azor part. 1. lib. 8. cap. 10. quasi. 9. Auila de cens. part. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 12. concl. 2. Suarez in 3. part. tom. 4. disp. 30. sect. 1. num. 2. & tom. 5. disp. 41. sect. 2. num. 6. Molina de iustit. tom. 3. tract. 3. disp. 79. num. 8. Comitoli in respons. tom. 1. lib. 6. cap. 44. num. 2. Sanch. in sum. tom. 1. lib. 2. c. 1. n. 19. Reginaldus tom. 2. lib. 30. tract. 2. cap. 3. num. 30. Filiucius tom. 1. tract. 20. cap. 10. num. 269. Homoboni, de cens. Eccles.